Laurentius miseratione divina tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum presbiter Cardinalis dilectis in Christo Johanni Ortiz Fernando etiam Ortiz Alfonso de Santillan

Leonoris de Sahavedra laicis Ispalensis heredibus quondam Elvire de Çuniga mulieris Pacen. Salutem in domino. Ex parte vestra fuit propositum coram nobis quod alias dicta Elvira

de Çuniga de propria salute solicita condens in eius ultima voluntate testamentum inter alia in ecclesia ubi corpus eius sepeliretur quandam perpetuam Capellaniam pro sua

suorumque defunctorum animarum salute in perpetuum celebrari et decantari voluit et mandavit certosque annuos redditus ad id reliquit ut in dicto eius testamento sive ultima voluntate

plenius continetur. Cumque dicta Elvira defuncta corpus eius in quodam heremitorio in dioc. Pacen. in loco deserto ac a ... hominum remoto sito sepultum fuisset nec qui

Capellaniam ipsam ob id decantare aut celebrare vellet inveniretur nec inveniri speraretur nos quasdam litteras per quas ut voluntate testatricis eiusdem antedicta non obstante capellaniam

ipsam in ecclesia hospitalis Sanctorum Cosme et Damiani alias mortis gallice nuncupati Ispalen. ex tunc de cetero celebrari facere possetis concedebatur a sede apostolica obtinuistis

illarumque vigore illam in eodem hospitali celebrari fecistis et facitis. Unde cum heremitorium ipsum in loco deserto situm sit ac Rectori infra cuius limites corpus testatricis prefate

sepultum est nulle oblationes preterquam sepulture eiusdem offerantur nec in futurum offerri nulleque decime aut primitie alieque ut prefertur debeantur nec deberi sperentur

cupientis ob id corpus seu cadaver aut ossa eiusdem Elvire a dicto heremitorio extrahere ac ad ecclesiam dicti hospitalis in qua Capellania predicta pro eius anima

celebratur transferre et transferri facere. Quod tamen vos permitti non speratis absque sedis apostolice licentia speciali. Supplicari fecistis humiliter nobis super hiis per sedem

eandem de remedio provideri oportuno. Nos igitur vestris in hac parte supplicationibus inclinati auctoritate domini pape cuius penitentiarie curam gerimus et de eius speciali mandato super

hoc vive vocis oraculo nobis facto vobis ut cadaver sive ossa prefate Elvire a dicto heremitorio extrahi et exhumari facere ac ad ecclesiam dicti hospitalis transferre libere

et licite possitis et valeatis ordinarii loci vel cuiusvis alterius licentia super hoc minime requisita tenore presentium veris existentibus premissis indulgemus ac plenam et

liberam ad id facultatem concedimus. Et nihilominus discretis viris Petro Pinello et Lupo de Sahavedra Canonicis ecclesie Ispalen. ac Officiali Ispalen. et cuilibet

eorum eisdem auctoritate et mandato committimus et mandamus quatenus vobis in premissis efficacis defensionis presidio assistentes faciant vos indulto ac licentia et facultate

vestris predictis pacifice et quiete uti et gaudere non permittentes vos per loci ordinarium vel quoscumque alios iudices vel personas tam ecclesiasticas quam seculares

quacumque auctoritate etiam apostolica fungentes contra tenorem presentium directe vel indirecte quovis quesito colore vel ingenio molestari perturbari aut alias quomodolibet

inquietari. Contradictores quoslibet et rebelles per censuram ecclesiasticam et alia oportuna iuris remedia compescendo, invocato etiam ad hoc si opus fuerit

auxilio brachii secularis. Voluntate predicta Constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac tam provincialibus quam sinodalibus statutis et consuetudinibus

ceterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Rome apud Sanctum Petrum sub sigillo officii penitentiarie. VI. Kl. Maii Pontificatus domini Leonis

pape X Anno Nono

Apostolica

M. de Torre ... dispensata

P. de Pamphilis

... Adiutor

... Malvenda

F. de Melnendoz

Jo. de Cingula
Jo. Viarampis

Pa traer los guessos de la
S.a doña aldonça arçobispo
de Eluira de tol-
Cuenca
L. D

PERGAMINOS, 432
Hospital del Cardenal, leg. 22

DIPUTACION PROVINCIAL SEVILLA
ARCHIVO

DIPUTACIÓN DE SEVILLA
ARCHIVO